

# EPISTULA LEONINA

## LXXXIV

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

**OCTOGESIMAM QUARTAM (84) !**

## ARGUMENTA

1. Hercules quomodo educatus sit. Hercules in bivio sedens 4-7
2. Fabella Grimiana: *Niveola* 8-17
3. Echus et voces 18-19
4. Valterus Berschin: *Animarum silva* 20
5. Fabianus Gropp: *Epyllion tonsorium* 21-25

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

***Cara Lectrix, Care Lector,***

***valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam octogesimam quartam. Hercules et Niveola certê tibi sunt personae iam pridem nôtae; et heros fortissimus et puella pulcherrima utinam tamen tibi placeant novâ veste Latinâ induti !***

***Praeterea invenies epyllion Fabiani Gropp tonsorium necnon Valteri Berschin vitam Latinê scriptam; quae opuscula mirabilia tibi valdê commendo.***

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d.Veneris,**

**20. m.Febr. a.2015**




**APELLES ET SUTOR. Pinxit Jacques-Albert Senave (1758–1823/1829)**

## **SUTOR, NE SUPRA CREPIDAM !**

cfr PLIN.nat.35,84sq. Apelli fuit alioqui perpetua consuetudo numquam tam occupatum diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem, quod ab eo in proverbium venit. Îdem perfecta opera proponebat in pergulâ transeuntibus atque, ipse post tabulam latens, vitia, quae notarentur, auscultabat, volgum diligentiore iudicem quam se praeferens. Feruntque reprehensum a sutore, quod in crepidis unâ pauciores intus fecisset ansas; eodem postero die superbo emendatione pristinae admonitionis cavillante circa crus, indignatum (sc. Apellem) prospexisse denuntiantem, **ne supra crepidam sutor iudicaret**, quod et ipsum in proverbium abiit.

## MYTHI GRAECORUM

### 39. Hercules quomodo educatus sit



**ECCE IUDICES MORTUORUM: MINUS AIACUS RHADAMANTYS**  
 Ludwig Mack, *Die Unterwelt* (ca. a.1826)

Amphitryon, cum fatum pueri altum ex ore vatis accepisset, statuit, ut ille educaretur modo, qui dignus esset heroe. Itaque ex omnibus regionibus congregati sunt heroes, ut Herculem imbuerent disciplinis artibusque omnibus. Pater ipse eum instituit arte currûs regendi, arcûs tendendi, sagittis collineare eum docuit Eurytus, artibus luctatorum et pugilum imbutus est ab Harpalyco. Castor, Iovis filius geminus, Herculem docuit in campo digladiari ordine et gravibus armis instructum. Linus autem, filius Apollinis senilis, Herculem instituit cantu et lyrâ nitidê modulandâ. Hercules se praestitit puerum docilem; at duritiam non passus est; Linus senex magister morosus fuit. Is cum Herculem castigasset plâgis iniustis, puer citharam correptam adiecit capiti magistri aulici, ut îdem delaberetur mortuus. Hercules, quamvis eum vehementer paeniteret, istius homicidii causâ in ius vocatus est; sed Rhadamanthys illustris iudex iustus eum

absolvit et legem sanxit, ne, si quis quem interfecisset ad se ipsum defendendum, ab eo expeteretur poena sanguinis. At Amphitryon, cum timeret, ne filius nimis robustus iterum culpam contraheret talis facinoris, eum rus misit ad armenta boum sua. Hîc Hercules adulescens omnibus praestitit corporis staturâ atque robore. Îdem filius Iovis horribilis erat aspectu. Hercules erat longitudine quattuor ulnarum, ex oculis eius effluebat fulgor igneus. Neque umquam îdem sagittâ atque venabulo iaculandis a re destinâtâ aberravit. Aetate duodeviginta annorum Hercules cum esset vir totius Graeciae formosissimus atque robustissimus, apparituum erat, utrum hîc robore uteretur ad bona an ad mala facienda.

#### **40. Hercules in bivio sedens**

Hercules ipse illo tempore a pastoribus gregibusque seiunctus in loca deserta se contulit deliberans, quoniam via sibi ineunda esset. Cum sedebat deliberabundus, subito conspexit duas mulieres procêras appropinquantes. Una aspectu tota erat ingenua atque decôra, corpus eius erat puritate ornatâ, visus modestus, statura môrata, vestis candidissima. Altera erat plenitudine obesâ tumidâque, albedo atque rubor cutis naturales fuco erant exaucti, statura erat talis, ut naturali esset erectior, oculi huius mulieris erant dilatissimi, vestis tam pellucida, ut appareret quam lascivissima. Eadem oculos coniecit ardentissimos in se ipsam, deinde circumspexit sciscitabunda, num a quibus aliis conspiceretur; necnon saepe umbram oculis quaesivit sui ipsius.

Cum ambae appropinquarent, prima tranquillê processit, at altera, ut illam praeveniret, ad iuvenem accucurrit eumque sic allocuta est: »Hercules! Video te incertum esse, quanam viâ per vitam tibi eundum sit. Me si amicam tibi elêgeris, te ducam per viam iucundissimam atque commodissimam; nullam voluptatem relinques ingustatam, omnem iniucunditatem evitabis. Bella atque negotia tibi non erunt curanda, nihil curabis nisi, ut fruaris esculentis potulentisque delicatissimis, ut oculos et aures ceterosque sensûs delectes sensibus iucundissimis, ut dormias in cubili mollissimo, ut fructum omnium illarum rerum tibi compares sine ullo labore operâque.

Si umquam tibi deerunt, quibus illa cures adipiscenda, noli timere, ne tibi imponam labores corporales aut mentales; e contrario nihil facies nisi fruêris fructibus industriae aliorum neque ulla res tibi recusanda erit lucrosa. Nam amicis meis ius do, quo utantur omnibus«.





### DELIBERATIO OMNIUM DIFFICILLIMA

Hercules in bivio stans. Pinxit Adamus Ghisi sive Scultori (1530-85).

Hercules autem, cum has res lascivas sibi oblatas audivisset: »O mulier« inquit »quisnam vocaris?« »Amici mei«, illa respondit »me vocant *Beatitudinem*; at ab inimicis mihi male dicentibus vocor *Lascivia*.«

Interim autem altera quoque mulier accesserat. »Ego quoque«, inquit, »venio ad te, Hercules, nam nôvi parentes tuos et indolem et educationem. His omnibus consideratis spero te, si viam meam ingressus esses, omnia bona et magna facturum esse excellentissimê. At nullas tibi praetexam voluptates, sed rem tibi exponam talem, qualem di esse voluerunt. Ergo scito deos nihil omnium, quae sint bona atque exoptabilia, hominibus nihil praebere nisi labore operâque comparandum. Si optas, ut di tibi sint propitii, debes deos venerari; si vis amicos te diligere, debes amicis prodesse; si petis, ut a civitate honoreris, debes ei munera gerere; si vis totam Graeciam te propter virtutem tuam admirari, debes Graeciae dare beneficia; si vis metere, debes sementem facere; si vis bellum gerere victoriamque parere, debes discere artem bellicam; si vis corpori moderari, debes idem durare labore sudorifero.« Tum sermo huius mulieris interruptus est a Lasciviâ. »Care Hercules«, inquit, »nonne vides, per viam quam longam, quam laboriosam ista mulier te ducet ad animi aequitatem? At e contrario ego

per viam brevissimam atque commodissimam te ducam ad beatitudinem.« »Misera«, *Virtus* respondit, »tu quidnam boni possides? An quanam re tu delectaris, cum omni voluptati praevenis saturando? Tu comedis antequam esuris, et bibis antequam sitis. Ut edacitatem irrites, petis coquos; ut cupidè bibas, comparas tibi vina pretiosissima et aestate ambulas nivem quaeritans; nullus lectus tibi videtur esse sat mollis, amicos tuos sinis nocte perbacchari crapulamque per diei partem optimam edormire et exhalare: itaque iidem iuvenes socordes atque nitidi circumsiliunt, senes sua corpora trahunt laboriosi atque sordidi, erubescens de rebus a se factis, oneri impares rerum agendarum. Tu quoque ipse, quamvis immortalis, tamen a deis repellêris et a bonis hominibus contemnêris. Id quod in auribus resonat iucundissimè, laus tui ipsius, tu numquam audivisti; id quo oculi delectantur plus quam ceteris rebus omnibus, bonum opus proprium, tu numquam vidisti. – At mihi quidem est consuetudo cum deis omnibusque hominibus bonis. Me artifices habent gratam adiuvam, patresfamilias fidelem custodissam, ministri adiutricem amabilem. Equidem probè communico negotia pacis, in bello certa pugnae socia sum, amicitiae consors fidelissima. Amicis meis melius sapiunt cibus et potus et somnus quam inertibus. Iuvenes gaudent de applausu senum, senes de honore a iuvenibus sibi attributo; libenter recordantur facta sua priora et feliciter se habent nunc agentes, per me diliguntur a dis et amicis, a concivibus honorantur. Si autem fati concesserunt, illi non iacent gloriae expertes in oblivione sepulti, sed a posteris celebrantur omnium temporum memoriâ. Ut talem vitam degas, o Hercules, cape consilium: sortem accepturus es beatissimam«.

**MYTHUM HERCULIS IN BIVIO SEDENTIS  
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM  
IN LATINUM CONVERTIT  
NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

# FABELLAE GRIMMIANAE

## 53. NIVEOLA



Factum est mediâ hieme plumisque nivalibus de caelo cadentibus, ut regina pulchra ad fenestram suens sederet, quae erat nigro margine ebeneo. Cum ad nivem suspiciebat, subito acu digitum pupugit, ut tres guttae sanguinis in nivem deciderent. Cum autem rubedo candori insita sibi videretur perpulchra, regina cogitavit: ,Utinam infantula mihi esset tam candida quam nix et tam rubra quam sanguis et tam nigra quam hic margo. Et paulo post eadem peperit filiolum, quae fuit tam candida quam nix, tam rubra quam sanguis, tam nigra quam ebenus, ideoque vocata est Niveola.

Regina erat mulier totius terrae pulcherrima necnon de pulchritudine suâ gloriabatur. Eidem erat speculum, quod omni mâne accedens interrogabat:

»Specillum, specillum, mihi nuntia:  
In totâ terrâ quis est pulcherrima?«

Tum specillum semper dicebat:

»Tu, Regina serenissima, es omnium pulcherrima«.

Deinde autem eadem certo sciebat neminem in mundo pulchriorem esse quam se. At Niveola adolescebat, et cum ea septem annos esset nata, tam pulchra erat, ut pulchritudine superaret ipsam reginam, et cum haec e speculo suo quaereret:





Ecce regina cum speculo loquens. Quam delineasse videtur Theodor Hosemann a.1852.

»Specillum, specillum, mihi nuntia:  
in totâ terrâ quis est pulcherrima?«

speculum respondit:

»Hôc loco tu, Regina, es pulcherrima,  
at te ipsâ milies pulchrior est Niveola!«

Regina, cum audiret speculum sic loqui, invidiâ correpta palluit, et inde ex hôc momento temporis oderat Niveolam et quandocumque illam aspectabat recordans se illius culpâ non iam esse huius mundi mulierem pulcherrimam, animus eius percussus est. Tum livore inquietata

venatorem arcessivit eidemque dixit: »Niveolam foras duc in silvam ad locum remotum ibique cultro percute, et ut sit mihi indicium, affer mihi illius pulmonem iecurque, quae salita percoquam et comedam.« Venator autem Niveolam secum eduxit, sed cultro cervicidali dstricto cum puellam esset percussurus, illa coepit flere et iterum iterumque venatorem rogare, ut sibi parceret, et affirmabat se numquam reversuram esse, sed per silvam fugituram. Itaque venator, cum puella esset perpulchra, misericordiâ commotus cogitavit: ‚Nescio an futurum sit, ut puella devoretur a bestiis feris, sed ego gaudeo, quod mihi non est necanda’, et quia modo apriculus accurrerat, eum cultro percussit et eius pulmonem iecurque tamquam indicia secum abstulit ad reginam, quae illa cum sale percocta comêdit et putavit se comedisse pulmonem iecurque Niveolae.

Niveola autem in silvâ magnâ erat tam desolata, ut expavesceret et inciperet currere nec desiit super lapides acutos perque spinas currere per totum diem: tandem sole occisuro Niveola vênit ad quandam domunculam. Quae possidebatur a septem pumilionibus, qui non erant domi, sed abierant in aurifodinam. Niveola intravit et omnia invênit parva, sed nitida atque pura: ibi stabat mensula, cui inerant septem catinuli, iuxta eos erant septem cochlearcula, septem cultelli fuscinaeque, septem pocilla, necnon parieti appositi erant septem lectuli unus iuxta alterum recenter linteis obtecti. Niveola cum esuriret sitiretque, ex omni catinulo aliquantulum comêdit holeris panisque, ex omni pocillo bibit guttam vini, et quia erat fatigatissima, cubitum erat itura. Tum septem lectulos unum post alium experta, nullus ei placuit nisi septimus, cui imposita obdormivit.

Cum obtenebresceret, septem pumiliones labore exanclato domum revererunt, septem lucernulis accensis viderunt aliquem in domunculâ suâ fuisse. Primus: »Quis« inquit »consedit in meâ sellulâ?« Alter: »Quis« inquit »comêdit ex meo catinulo?« Tertius: »Quis« inquit »sumpsit aliquid e meo paniculo?« Quartus: »Quis« inquit »comêdit aliquid e meo holusculo?« Quintus: »Quis« inquit »pupugit fuscina mea?« Sextus: »Quis« inquit »secuit cultello meo?« Septimus: »Quis« inquit »bibit e meo pocillo?« Deinde primus circumspexit et: »Quis« inquit »calcavit meum lectulum?« Alter: »Eia« inquit »in meo quoque aliquis iacuit!« et sic deinceps loqui perrexerunt usque ad septimum, qui lectulo aspecto invênit Niveolam ibidem iacentem et dormientem. Tum pumiliones omnes accurrerunt et stupefacti clamaverunt et septem lucernulas apportaverunt et Niveolam aspectantes, »eia mi Deus! Eia mi Deus! exclamaverunt, »quam pulchra haec est!«





**Niveola septemque nani. Pinxit Carl Offterdinger (sc. 19.o exeunte).**

Nani de puellâ valdê gavisî eam non e somno excitaverunt et siverunt in lectulo iacêre; septimus autem nanus dormivit iuxta sodales suos, iuxta unumquemque per singulam horam, deinde nox erat transacta. Niveola cum experrecta esset, illi ex eâ quaesiverunt, quis esset et quomodo in domunculam suam venisset, tum Niveola illis narravit, quomodo mater sua se necare voluisset, sed venator sibi vitam donavisset, et quomodo per totum diem cucurrisset, et tandem ad illorum domunculam venisset. Tum nani puellae miseriti dixerunt: »Si domunculam nostram curaveris, si cibos coxeris, vestes sueris, lectulos straveris, lavandaria laveris, pannos acu pinxeris, omniaque pura ordinataque teneris, velimus maneat apud nos neve quid tibi desit; vespere veniemus domum, tum oportebit cena sit praeparata, die autem erimus in fodinâ et effodiemus

aurum, tum eris sôla; caveas reginam et cura, ne quis intret domunculam.«

Regina autem credidit se iterum esse omnium mulierum pulcherrimam, mâne processit ad speculum et dixit:

»Specillum, specillum, mihi nuntia:  
In totâ terrâ quis est pulcherrima?«

At tum speculum iterum respondit:

»Hîc, regina serenissima,  
tu quidem es pulcherrima.  
At trans septem montes sita est domuncula  
Ibi, apud septem nanos habitat virguncula  
quae te milies pulchrior esse praedicatur:  
Niveola pulcherrima omnium nominatur!«

His auditis regina territa bene intellexit se a venatore esse deceptam Niveolam adhuc vivere. Itaque nunc denuo deliberavit, quomodo illam necare posset, nam dum speculum non esset dicturum se esse omnium pulcherrimam, regina non quievit. Cum omnia ei viderentur parum certa parumque segura, ipsa personam induit vetulae venditricis, faciem fucavit, ut a nemine cognosceretur, et foras exiit ad domunculam nanorum. Ianuâ pulsatâ mulier vocavit: »Aperite, aperite, sum vetula venditrix, quae praebet bonas merces venales«. Niveola autem ex fenestrâ prospiciens: »Quidnam« inquit »praebes?« – »Corrigias pectorales, cara puella,« ânus dixit corrigiamque exêmit serico flavo et rubro et caeruleo connexam: »nonne vis aliquam accipere?« – »Eia« Niveola dixit cogitans nil obstare, quin bonam hanc vetulam sineret intrare, eam probam esse; ianuâ reseratâ corrigiam êmit. »At quam negligenter« vetula inquit »pectus constrinxisti, vëni ad me, ut te melius constringam«. Niveola autem se anui anteposuit, tum ista corrigiâ captâ pectus Niveolae tam vehementer constrinxit, ut ea suffocata decideret mortua. Deinde ânus animo contento abiit.

Paulo post nox est facta, tum domum venerunt septem nani, qui valdê territi sunt, cum aspicerent Niveolam sibi caram humi iacentem, quasi esset mortua. Niveolâ sublatâ viderunt eam esse nimis constrictam, corrigiam dissecuerunt, tum illa respiravit et resipuit. »Istud« inquiunt, »a nemine factum est nisi a reginâ. Ista voluit tibi vitam adimere, cave nec sine intrare ullum iam hominem.«

Regina autem quaesivit e speculo suo:

»Specillum, specillum mihi nuntia:  
In totâ terrâ quis est pulcherrima?«

Speculum autem respondit:

»Hîc, regina serenissima,  
tu quidem es pulcherrima.  
At trans septem montes sita est domuncula  
Ibi, apud septem nanos habitat virguncula  
quae te milies pulchrior esse praedicatur.  
Niveola pulcherrima omnium nominatur!«

Deinde regina tam vehementer est territa, ut totus sanguis eius ad cor profunderetur, cum videret Niveolam redanimatam esse. Tum per totum diem noctemque animo aestuavit, quomodo illam tamen perderet, confecit pectinem venenatum, personam induit prorsus aliam, foras abiit. Ianuam pulsavit, sed Niveola vocavit: »Mihi non licet aliquem intro admittere«; tum vetula pectinem exêmit, et Niveola, quia eundem conspexit fulgentem et advenerat mulier prorsus aliena, tamen aperuit pectinemque a muliere êmit. »Vëni, te quoque pectam,« dixit venditrix, sed vix pecten capillis Niveolae infixus erat, cum ea decidit mortua. »Nunc manebis prostrata,« regina dixit animo relaxato et domum abiit. Nani autem recto tempore redierunt, viderunt ea quae facta erant et pectinem venenatum e capillis traxerunt, tum Niveola oculos aperuit redanimata et nanis promisit se certê neminem umquam intro admissuram esse.

Regina autem ante speculum se collocavit:

»Specillum, specillum, mihi nuntia:  
In totâ terrâ quis est pulcherrima?«

Speculum respondit:

»Hîc, regina serenissima,  
tu quidem es pulcherrima.  
At trans septem montes sita est domuncula  
Ibi, apud septem nanos habitat virguncula  
quae te milies pulchrior esse praedicatur.  
Niveola pulcherrima omnium nominatur!«

His auditis regina irâ contremuit atque commota est: »Niveola moriatur, etsi ipsa peribo!« Deinde regina iit in conclave suum abditissimum nemine comite, ibique confecit mâlum venenosum, immo venenosissimum, quod fuit tam formosum tamque rubicundum, ut



quicumque eundem fructum conspexisset, comedere cuperet. Tum regina vestimenta induit mulieris rusticae, prodiit ad domunculam nanorum eiusque ianuam pulsavit.



**Regina vestimentis rusticis induta et Niveola mâlo venenato interfecta.  
Pinxit Franciscus Jüttner a.1905.**

Niveola e fenestrâ prospiciens: »Non licet mihi« inquit »aliquem hominem intro admittere, nani hoc severê mihi interdixerunt«. »Nisi volueris«, rustica inquit, »te non cogam, mâla mea vendam alii, sed ecce, unum quidem tibi dono, ut gustes«. – »Non, neque donata mihi licet accipere, nam nani nolunt hoc«. – »Licet timeas, ergo mâlo dissecto ipsa comedam partem dimidiam, en habes pulchram partem rubicundam;« at mâlum tam artificiosê confectum erat, ut rubicunda tantum pars dimidia veneno inficeretur. Tum Niveola cum videret rusticam ipsam e mâlo comedere, tam vehementer cupiebat frui eodem pomo, ut tandem alteram partem dimidiam per fenestram sineret sibi tradi eandemque mordêret, at vix frusto ori ingesto puella humum delapsa est mortua.

Regina autem gaudens domum iit et ex speculo quaesivit:

»Specillum, specillum, mihi nuntia:



in totâ terrâ quis est pulcherrima?«

tum speculum respondit:


»Tu, regina serenissima es omnium pulcherrima!«

»Nunc« regina inquit, »animus meus est tranquillus, quia tandem in totâ terrâ pulcherrima sum, et Niveola nunc quidem certê manebit mortua.«

Vespere nanuli e metallifodinis domum venerunt, tum cara Niveola humi iacebat mortua. Pectus restrinxerunt et viderunt, num quid veneni inesset eius capillis, sed haec nil profuerunt, non iam potuerunt illam redanimare. Itaque illam feretro imposuerunt, eidemque assederunt, deinde lacrimaverunt per tres dies, tum voluerunt illam sepelire, sed viderunt illam aspectu esse hominis adhuc viventis, minimêque mortui, necnon esse pulchris gennis rubris. Itaque curaverunt arcam funebrem construendam vitream, Niveolam imposuerunt, ut posset bene aspectari, eiusque nomen arcae inscripserunt et gentem, e qua orta erat, et cottidie aliquis domi manebat, ut illam custodiret.

Sic Niveola iacebat per longum, perlongum tempus nec in tabem resoluta est, sed adhuc erat candore niveo et rubore sanguineo, et si fieri potuisset, ut ocellos aperiret, iidem fuissent colore ebeneo, et videbatur dormire. Aliquando princeps quidam nobilis vênit ad domunculam nanorum ibique voluit pernoctare, et cum conclave intravit et Niveolam conspexit in arcâ vitreâ iacentem, quam bene illucebant septem lucernulae, pulchritudine Niveolae conspectâ insatiabiliter oblectabatur, et inscriptione lectâ scivit illam esse filiam rēgis. Tum nanulos rogavit, ut venderent sibi arcam funebrem cum Niveolâ mortuâ, sed illi noluerunt vendere auro quantocumque; tum illos rogavit, ut sibi donarent, nam se non posse vivere nisi illam videret, et Niveolam tanti aestimaturum atque honestaturum esse, quanti rem sibi omnium dilectissimam. Tum nani principis miseriti ei arcam funebrem dedêrunt, princeps autem curavit arcam in castellum portandam suoque cubiculo imponendam, ipse per totum diem iuxta illam sedebat nec oculos ab illâ avertere poterat; quando exire debebat nec Niveolam videre poterat, animus eius contristabatur, nec ullum frustum comedere poterat, nisi arca funebris iuxta se stabat. Ministri autem, quibus semper semperque arca funebris esset portanda, de hac re stomachabantur, et aliquando aliquis ex iis aperuit arcam, Niveolâ sublatâ: »talīs puellae mortuae causâ« inquit, »nos per totum diem vexamur,« et dorso puellae manum impegit. Tum ciccum mâli molestum, quod momorderat, e gutture eiectum est, et ideo Niveola redanimata est. Tum Niveola iit ad principem, qui prae gaudio

nescivit, quid faceret, quia cara Niveola erat viva, et unâ considerunt ad mensam et laetê cenaverunt.



**Ecce Niveola in vitream arcam funebrem inclusa.**

Postridie nuptiae sunt praeparatae, necnon mater Niveola impia est invitata. Eadem autem cum mâne ante speculum processisset et dixisset:

»Specillum, specillum, mihi nuntia:  
In totâ terrâ quis est pulcherrima?«

Tum illud respondit:

»Hôc loco cum pulcherrima dicaris,  
tamen milies a principissâ superaris!«

His auditis regina vetula territa tam vehementer expavit, ut nesciret, quid diceret. At livore commota vênit ad nuptias, ut videret iuvenem reginam, et cum advenisset, vidit eam esse Niveolam; tum calcei ferrei igne candefacti sunt, qui vetulae erant induendi, iisdemque saltandum, ut pedes miserrimê comburerentur, nec licuit isti a saltando desistere, dum moreretur.



**FABELLAM GRIMMIANAM  
C.T. »Sneewittchen«**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**

## ECHUS ET VOCES

### URBANUS BRASILIAPOLITANUS

Urbanus Leoni Latino s.p.d.

Ave, Leo Latine!

Venturus annus tibi sit prosperus. Vale semper. Perge Latinitati favere.

Urbanus

### MARCUS CHRISTINUS ITALUS

Marcus Cristini Nicolao Groß s.p.d.

Care Nicolae,

ego semper libentissime Epistulas Leoninas tuas legi, eas modo nocturna versavi manu, modo versavi diurna. At, pro dolor, a mense Octobris nullam Epistulam iam accepi. Fortasse programma cursus publici electronici mei male munere suo fungitur (ut satis saepe accidit). Quam ob rem scire velim, utrum ab Octobre novas Epistulas Leoninas publicavisti an non et quomodo eas extrahere possum. Interea tibi exopto laetiferum festum Christi Natalis atque felicem ditissimumque Latinitate novum annum!

Optime vale

Marcus Cristini

### ANDREAS FRITSCH BEROLINENSIS PROFESSOR LATINITATIS EMERITUS

Andreas Fritsch Nicolao Groß salutem plurimam dicit.

Denuo tibi, Nicolae, magnae gratiae sunt agenda, quod nobis pro humanitate et liberalitate tua epistulam Leoninam numero iam octogesimam tertiam misisti. Quamquam hoc die nondum omnes textus a te compositos legere potui, tamen vidi et audivi initium illius cantici, cui titulus est "Transeamus usque Bethlehem". Quod canticum iam puer domi cum parentibus, fratribus sororibusque cecini matre clavichordio canente. Sed miror, quod scripsisti auctorem illius cantici esse ignotum, cum ipse didicerim nomen eius esse Josephum Ignatium Schnabel (1767-1831). Sed ille fortasse traditos modulos musicos suo modo polivit et amplificavit et in novam formam redegit.

Iterum tibi gratias ago et hac occasione data tibi tuisque annum novum faustum et felicem precor. Optime vale.

PS: Mense Novembri Romae fui ibique in Capitolio oratiunculam Latinam habui de Comenio. Si vis, inspicias appendices.

### VALTHERUS BERSCHIN PROFESSOR LITTERARUM MEDIAEVALIUM HEIDELBERGENSIS EMERITUS

(d.14. m.I. 2015)

Lieber Herr Kollege Groß,

Ihnen und dem Leo Latinus ein gutes und erfolgreiches Neues Jahr zuvor! Vielleicht interessiert es Sie (und die Leser des Leo Latinus), daß bei [www.mittellatein.uni-hd.de](http://www.mittellatein.uni-hd.de) unter ‚Aktuelles‘ jetzt ein lateinisches Buch (frei zugänglich) zu finden ist, das seit a.2000 in meiner Schublade lag. Es heißt ANIMARUM SILVA (‚Seelenwald‘). Lege feliciter!

Herzliche Grüße sendet

Walter Berschin

<http://www.uni-heidelberg.de/institute/fak9/mlat/Berschin%20Seelenwald.pdf>

i.e. Latine:

Care collega Groß,

primum tibi Leonique Latino exopto annum ineuntem bonum et prosperum! Fortasse tuâ (lectorumque Leonis Latini) interest nunc in situ interretiali, qui est [www.mittellatein.-uni-hd.de](http://www.mittellatein.-uni-hd.de), inveniri librum latinum (gratis accessibilem), qui ex anno 2000 iacuit in (mensae scriptoriae) meae forulo reciproco inclusus. Qui liber inscribitur ANIMARUM SILVA. Lege feliciter !

Medullitus te salutatur

Valterus Berschin

### **IOHANNES KNIJFF BATAVUS CENTUCCIENSIS**

Johannes Leoni sal.

Volui, O optime Leo, te certiore facere me nuperrime cum discipula iam peritiore librum c.t. *Crabatus* abs te Latine redditum legere coepisse.

Discipula nimirum Americana, vix XVI annos nata, quaeque anno proximo ex examine Americano AP quod Anglice vocatur felicissime evasit, opere et Preußlerii et tuo valde delectatur et mehercle permulta vocabula nova discit legendo. Quorum multa (ut spero) aenigmatis verborum tessellatis a me scriptis memoriae committantur. His litteris adhaesum ecce tale aenigma de novis vocabulis in prima parte Cap. II repertis.

Cum eadem discipula quoque legi historiam illam horrendam de Salmoneo, a domino Schwab Germanice absque Leone Latine reddita. Fabula lecta eo facilius de eodem Salmoneo loca ex Vergilii Maniliique carminibus legimus.

Gratias quam maximas tibi Leoni ago, qui tam liberaliter Latine legentibus opera tua largiris! Spero olim coram gratias tibi agere deque rebus Latinis tecum colloqui. Pancratice valeas! --

Dr. Jan-Piet Knijff

DMA (City University of NY), MM (Amsterdam), FAGO

MA in Classics & Grad. Cert. Latin Studies (U. of Kentucky)

Pianist, organist, harpsichordist, conductor, lecturer, writer

Latin, ancient Greek, German

Director, Armidale Beethoven Festival, Australia

859-420-3781 | [jpknijff.com](http://jpknijff.com)

### **FABIUS GROPP POETA FRANCOGALLUS GERMANIENSIS**

Fabius Nicolao s. p. d.

Hoc electrogrammate saturam illam tibi mitto, quam haud ita pridem tandem confeci quaeque quovis tempore spatioque dato Epistulae Leoninae inseri potest. nec solum autobiographica est, sed habet etiam aliquid superrealismi ... ;) commentarii satis hoc fore censeo:

v. 18: oneris ... flavi: cum inchoata est satira, crinem hydrogenii peroxydo decoloratum gerebam. v. 158: geminique novi: natus sum mense Iunio.

Ceteras subtilitates et allusiones lectricibus lectoribusque inveniendas trado timens (!), ne illis permagnus risus commoveatur! :D scilicet Horatius, Ovidius, Vergilius, Terentius, Lucretius, Uderzo et Goscinnus necnon fratres Grimm silentio praetereundi non sunt, utpote quibus multa debeam ...

Cura, ut valeas!

<http://www.uni-heidelberg.de/institute/fak9/mlat/Berschin%20Seelenwald.pdf>

## Walter Berschin *Animarum Silva*

Hoc libello continentur

I Somnium.....	2
II De ovo equino .....	6
III Ambulatio parascevalis ( <i>Karfreitagsspaziergang</i> ).....	8
IV Carona.....	11
V Iter Germanicum.....	14
VI Bananarum manus.....	17
VII Magistra infirmitas.....	20
VIII Praemium.....	21
IX Caseorum institor.....	23
X 'Id vocatur Kranz'.....	25
XI Vale, mater, semper valet.....	27
XII De erinaceo resuscitato.....	30
XIII Lacus Potamicus.....	32
XIV 'Fabulam!'.....	35
XV Hortulus.....	37
XVI Iter Italicum.....	39
XVII ...et alia itinera.....	41
XVIII Ars venatoria.....	45
XIX Hispaniola.....	48
XX Hagion oros Athos.....	51
Epilogus: Animarum silva ( <i>Seelenwald</i> ).....	54
Voces et iuncturae minus usitatae.....	56

<http://www.uni-heidelberg.de/institute/fak9/mlat/Berschin%20Seelenwald.pdf>



## Epyllion tonsorium

- De vorsa specie summi garrere animus fert  
vorticis. hercle potest fieri – dextra mihi Musa,  
quae penitus memorem reddat modo me, modo vosmet  
huius rei male gestae – propositum grave prorsus.
- 5 namque decore carens voltum vix inveniatur,  
se ipsa qui dicat formidine vitae finis  
omne bonum nactum mansuros. an dubitandumst?  
nequoi sit vostrum mirum quo pertineat res:  
quam doleam vos scire necessest, vos, quibu’ numquam,  
10 felices homines, capitis curatio curaest.  
Gallus enim fueram pulcre belleque comatus  
olim ego eoque satis contentus, quod similis, mi  
credite, eram potione illi magica bene noto.  
ast ideo, ut fieret cultus levior mihi, nuper  
15 audax vel potius stultus mea limina liqui  
tonoriosque adii cultros. sacrisque petitis  
antris artificis “propere” inquam “mi optume, partem  
fac demas oneris mihi flavi, dummodo ne sit  
maior quam aequomst.” ambo igitur nos volvimu’ libros –  
20 scilicet in tanta facierum nulla novarum  
copia erat, decerpi ex qua fructus potis essent.  
convenit confidere verbis, munere fungi  
occepit tum denique tonsor, et id fuit ipsum  
tempus, quo vellem mea, vae mihi, mens vigilasset:  
25 dum veluti miles, qui sponte sua spoliatur,  
ignavus moror in sella, saepe ille retentis  
haerebat cultris velocibus atque rogabat:  
“quid de istoc?” cupidus mutandi ego tum: “modo perge.”  
(nec vero virtutis erat contemnere fata.)
- 30 cetera nescio quae magna ac caelestia sint a  
nobis disserta – esse solent, puto, talia vana.  
multo post tamen, ut visumst perfectum opus esse  
strenuo et assiduo, fessos requiescere cultros  
iussit et apposuit speculum alterum, ut hac ratione  
35 nequid me fugeret. meque aspiciens “edepol quid”  
inquam “lanae detraxi! sed nos aliquando  
omnes debemus dimittere cara neque illis  
devincti nimis esse, velut si aes sint vel amica.  
ite mei, quoniam tonsus pilus, ite capilli!”  
40 hic tonsor “fatuari” inquit “iam desine. namque  
dignu’ diu renovamine eras iam. nunc sine purgem

haec loca, nequis quid vereatur. ilicet, actumst!"  
 insolita mercede soluta extrusu' foras sum.  
 quis rebus permoto maxume opus mihi erat quo  
 45 delectarer, et hoc placuit: me flectere cursum.  
 ibam per fora siccatus nondum caput atque  
 nesciu' quid modo fecissem, dulcedine raptus:  
 exoritur ventus, borean quem nomine dicunt,  
 emissoque sono tonitrus, rauco strepitu, de  
 50 caelo fulminibus iactis, quis lucidius nil,  
 nubibus ex atris fusust densissimus imber.  
 quae subito mihi visa mali praesagia, turbaque  
 ambita dextra laevaue domum properavi.  
 nec fuit illa locus iam tutior: ostia iuxta  
 55 excipior ficta vitro sub imagine tristi  
 huiu' quidem fantisque hominis damnumque ferentis.  
 "o ego laevos!" utrimque ait "o quid" mutus uterque  
 "turpius est et erit me toto in terrarum orbe?"  
 attonitus meditans immotus talia stabam.  
 60 quid facerem, nisi pecten et unguina, lintea raptim  
 sarturus mea detrimenta capesserem? at ille  
 sartor – me dico – salit huc illuc, simulatque  
 olim forma decusque modo se gessit eodem,  
 nunc et deformis res dedecus indomitumque  
 65 (at Phoebea Rhodos sane procul afuit illa).  
 nam quotiens aptatis belligeris manus armis  
 attigerat crinis, totiens illi minitantes  
 mox volvebantur morsus more anguiculorum,  
 et torpescere mox crispique rigere pusillum,  
 70 alte mox resilire – fugax opus omne. putares  
 Persea Gorgone cum dira rixarier atque  
 anguicoma; nisi quod partes monstrique virique  
 – 'herois' ne dicam! – unius erant, nisi quodque ...  
 sed nugarum istarum iam satis est. "age" mecum  
 75 "nil istuc, quod agis." dubius, citharane canundo  
 an dapibus (nam tempus erat) factis mihi soli  
 mente animoque frui potius possem meliore,  
 ordine mutato confugi ad utrumque. sed illa,  
 quamvis res solitae, solito minu' grata fuere.  
 80 iam fit nox, suadentque cadentia sidera vinum  
 somniferum. radii soli summoque labore  
 se rumpunt tenebras inter lunae; ore benigno  
 illa tamen: mecum rubicundaque plenaque factast,  
 ambiguo motu gaudet vacuaque lagoena.

85 sane iterum madidus titubans me confero dormitum,  
 alta quies fuit. at luna quoque deficiente  
 nocte etiam, arbitror, atra magis sunt somnia facta:  
 marmoreae effigies mihi visae, invisae Medusa,  
 concretae visu ambiguosque lupos simulantes;  
 90 Tityre, te miserum quoque candidiore cadente  
 barba vidi avidamque novi sceleris Galateam;  
 Socrate, lux iuvenum tu stellarumque perite,  
 o divom renovator, te, patiensque veneni,  
 insimulate, ostendisti mihi, crimine falso,  
 95 quemque ferunt laetum semper caecumque fuisse.  
 iam noctem pellebant lucida tela diei  
 caecam purpurea Aurora comitante neque ullo  
 rore gravi sed frigore multo, cum subito me  
 psittacus excitat e somno lepidus variusque  
 100 ore sonaci et adunco et amicus multiloquacum.  
 morsu pulvinum tepidum et sudore madentem  
 atque meum nasum petiit (mordax quoque rostrum).  
 stridens “surge” inquit “iam surge! heus tu! mihi vin’ tu  
 iam parere et oboedire? heus! iam surgere oportet!”  
 105 vixque mihi credens feci quod dixerat ille.  
 quidque veniret et unde, placebat quaerere, quamque,  
 siquam, quamnam ageret rem, responditque: “docebo.  
 nos austrinorum nota segetum urbe profectos  
 lustrantisque omnis, quas hic terras habet orbis,  
 110 et vectos felicibus atque fiventibus auris,  
 hae gelidas postquam se praebuerunt regiones,  
 invasit nostri desiderium recreandi –  
 et fandi. cro cro.” tum ego: “quid?” siluitque pusillum,  
 se ut purgaret, tum repetivit: “quid ‘quid’?” et “hora  
 115 adsumus hac” adiecit et “aut mihi tutemet amens  
 credere nil omnino aut omnia nosse cupis, iam  
 hoc video. sed fessu’ labore, sitique fameque  
 pressus et algens oro te mihi des quod opus nunc.  
 cro cro. post pergam.” “scire idne licet?” “tibi dicam,  
 120 sufficit hoc: calidam miscere salubribus herbis  
 expertem salis, et tenui medearis avena.  
 praeterea, pastillos siquos forte habeas, hos  
 accipiam sumamque favens, vah, hircum oleam ne.  
 solus namque ego cum perrexerim iter, fieri posse  
 125 arbitror, ut ...” “video.” subridens ille iterum: “cro.”  
 nec ‘mihimet’, concedo, ipsi quae optaverat ales  
 plane ingrata fuere, adeo nos prandimus una;

quo facto rediit sperata occasio 'fandi':  
 "ergo aditu vetito vicinis forte fenestris  
 130 haec patuit patiens aditum tua forte fenestra.  
 ante autem – licet hoc credas – pugnandum erat, idque  
 acriter; hostis erat sciurus pugnaxque procaxque,  
 ipsaque pugna – tibi id quoque dicam – de nuce cassa.  
 quo magi' nunc speculum, speculum inquam, adhibere lubet, quo  
 135 monstretur sint rubrae caeruleae viridesque  
 ac mundae cultae nitidae pennae satis annon.  
 quod, cro cro, ni fecerimus, moriemur inulti!"  
 et dicto citius properat volitans crepitansque  
 expletum optatum hoc quoque; eum murum, speculum quo  
 140 pendet, adit licita mihi condicione culinae.  
 nec solet hoc animal fari et crocure modo, sed  
 quanta etiam, se dum colit, audio sibilet arte.  
 mox redit et dicit: "quaeso ignoscas ... cecidit de  
 rostro forfex in tabula modo forte reperta.  
 145 hac volui hirsutam et fissam plumam resecaere –  
 fractast. sed video: tempestas imminet atra  
 matutina, procul neque abest. pulcerque profecto  
 ac bellus sat ero, quamquam imperfectum opus est hoc;  
 namque istos timeo ventos et pruna ferentis.  
 150 quae cum ita sint, cro cro, scito: tempust abeundi,  
 hospes, care bipes, nunc atque valedicundi.  
 cetera, si sapias, hodie si forte relictis  
 aut candentibus aut gravibus iam pulvere nigro  
 liminibus ... prorsus fac idem speculumque adhibeto!"  
 155 dixit, et inde via, tacitus qua venerat, illa  
 discessit formam monstrans (tum clausa fenestrast).  
 nec mora, cuncta fere iam assuetus iussa secutus:  
 ecce iterum geminique novi geminataque clades  
 (factaque revera quadruplex ea nocte vitroque);  
 160 ingemui "quid nunc, speculum" que aio "mihi suades?",  
 responsumque datumst nullum, renovata igitur sunt  
 proelia prisca magis nequaquam Marte secundo.  
 victus et inferior "succumbere non licet" inquam  
 mecum "quomodocumque se habet res – tempora cogunt  
 165 comari!" dixi, profeci ego, ut ante quidem, non  
 hilum. tempore tum fugiente hora admonuit, ne  
 illud ferrem, quod legitur de moribus istis;  
 dicit enim iuvenis quidam frugi haec fere amico:  
 "femina dum parat et conatur, volvitur annus."  
 170 dein animadvorti volucrem quoque abire coactam

imperfecto opere, et quanto splendore fuisset;  
atque haerebat mente etiam nux cassa – facete  
mecastor fatus pavonulus ille erat istuc!  
tu posthac utinam me, caeles amice, revisas!  
175 floridus et fortis namques, quamquam ipse protervus.  
iamque in eost, ut fabula concludatur; id unum  
restat ut addatur: tonsori illi vitio nil,  
nil inquam, detur, namque haud iniussu' secabat.  
tonsor – ut est curator – curat, psittacus autem  
180 sanat. et interea, dum caesaries mea currat,  
Gallus adhuc sum vobis, esto – sed sine crista;  
immo habeo cristam, cristam velamine dignam.  
numquid opust iam plura loquar?

**composuit Fabius Xystinus p. I. Crassus**



# ***Recitator***

Fabula romanica  
quam theodiscê scripsit  
**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoriâ, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavariæ Suebicae  
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM)  
Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. **TOLLE  
LEGE !**





**HANC EPISTULAM LEONINAM  
OCTOGESIMAM QUARTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Veneris, d.20 m.Febr. a.2015**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**